Skelton (Fr.)

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

OPHTHALMIA:

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri

D. JOANNIS GOWDIE,

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI *consensu,*

Et nobilissimae FACULTATIS MEDICAE *decreto;*

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

FRANCISCUS SKELTON, HIBERNUS.

Ad diem 26 Junii, hora undecima ante meridiem.

Surgeon Gen'l's Office
LIBRARY
No. 35412
Washington, D.C.

EDINBURGI:

Apud HAMILTON, BALFOUR, & NEILL,

ACADEMIAE TYPOGRAPHOS.

M,DCC,LIX.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

OPHTHALMIA:

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

ET

EX AUCTORITATE

D. JOANNIS COWDIE,

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆSIDIS AMPLISSIMI,

NEC NON

SENATUS ACADEMICI,

NEC NON

FACULTATIS MEDICÆ,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS,

RITE ET LEGE,

OBTINENDIS,

FRANCISCUS ADAMS,

Armiger Scotus,

EDINBURGENSIS.

FRANCISCUS ADAMS.

PATRI SUO OPTIMO, BENIGNISSIMOQUE,

Rev. JOANNI SKELTON, A.M.

HUNC TRACTATULUM

STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS,

QUALECUNQUE OBEDIENTIÆ MONUMENTUM,

ET AMORIS PIGNUS,

GRATO, PIOQUE ANIMO,

D. D. C. Q.

FRANCISCUS SKELTON.

PATRI SUO OPTIMO, BENIGNISSIMOQUE,

Rev. JOANNI SKELTON, A.M.

HUNC TRACTATULUM

STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS,

QUALECUNQUE OBSEQUII SUI MONUMENTUM,

ET AMORIS PIGNUS,

GRATO, PIOQUE ANIMO,

D. D. C. C.

FRANCISCUS SKELTON.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

OPHTHALMIA.

SI Corporis Humani fabricam contemplemur, ex tam diversis partibus conflatam, quam mire eluceſcit Summi Opificis ſapientia!

Visus autem, ex omnibus ſenſibus hominum ſaluti tam neceſſariis, utiliſſimus videtur; per eum pulcherrima Naturae opera indagamus, et malo venienti occurrere poſſumus. Si a quacunque cauſa organo hoc privati fuerimus, quam peſſime langueret anima noſtra; et omnia nobis eſſent.

Rudis indigeſtaque moles.

QUUM

QUUM autem variis morbis obnoxius sit oculus, ejusque laesio tam multa corpori inducit incommoda; in Specimine hoc inaugurali, de Ophthalmia tantum pauca proferre decrevi: Sed, priusquam ad morbi enarrationem accingamus, operae praetium erit, de tunicarum oculi anatomia aliquid dicere.

Ex faciei cute in se replicata conficiuntur palpebrae; harumque lamina interna, tenuior facta, membranaeque exinde speciem, sub Tunicae Adnatae vel Cunjunctivae nomine, induens, ante oculi globum ducitur, ei per cellulositatem adnexa.

SCLEROTICA externa, et densissima oculorum tunica, in Corneam Opacam et Lucidam dividitur.

CORNEA opaca multis stratis sibi incumbentibus componitur, adeo intertextis, ut a se invicem, sine fibrarum disruptione, separari nequeant. Vasculis multis, tam arteriosis quam venosis, perforatur, sensimque ad partem anteriorem gracilescit. Veteres, et Recentiores plurimi, a

dura

dura matre originem duxiſſe, putavere: Sed celeberrimi viri, Heisterus *, Winslowus †, Zinnius ‡, et alii, hanc ſententiam ab accurata magis inſtituta ſectione dirui contendunt. In illam tendines quatuor muſculorum rectorum inſeruntur; ac, ſecundum Winsloum, alioſque, expanſiones horum tendinoſae tunicam albugineam efformant: Accuratiſſimus vero Zinnius candorem a cornea ipſa opaca oriri docet **.

Cornea lucida, cornea opaca magis convexa, ex variis etiam laminis evidenter conſtat, quas perita Anatomici manus in plures adhuc dividit, multa celluloſitate illis interpoſita.

Choroides tunica ab albo circulo, ſubſtantiam nervi optici terminante, orta ††, vaſis quibuſdam et tela celluloſa tenerrima ſcleroticae alligata, ex vaſculis quam plurimis, ſubſtantia, uti videtur, celluloſa,

* Diſſ. de tun. chor. § 2.

† Sect. x. *deſcript. de la tête*, § 225.

‡ Zinn. deſcript. anat. ocul. hum. cap. 1. de tun. ſclerot.

** Zinn. ibid. de tun. ſclerot.

†† Hall. prim. lin. cap. xviii. § dvi. Zinn. cap. 11. de tun. choroid.

celluloſa, in unam telam contextis, conficitur. RUYSCHIUS eam e duabus lamellis compoſitam voluit*: Sed alii membranam ſimplicem eſſe ſtatuunt†; vaſis enim tam intime unita eſt, ut ſine vi illata, et ruptione, in duas laminas in corpore humano dividi non poteſt. Ubi ad corneam pellucidam pervenit choroides, cum ſclerotica, tela celluloſa firma unitur, quae album circulum, Orbiculum Ciliarem dictum, efformat; paulo retro quem in ſtrias vix eminentes choroides jam contrahi inceperat, quae in plicas latiores fluitantes demum abeunt, vitreo humori incumbentes, tandemque lentis chryſtallinae capſulae contiguas; huic enim adnexas dicere vetat grave ZINNII teſtimonium: Strias haſce Proceſſus Ciliares vocant.

IRIS vero figurae circularis, eſt velum planum‡, varie apud varios homines anterius coloratum; foramine, quod Pupilla dicitur, pertuſum; margine exteriore tunicis choroidi ac ſcleroticae,

* Ruyſch. epiſt. probl. xiii.

† Verheyen. anat. corp. hum. tract. iv. cap. 14. et alii.

‡ *Petit. Mem. Accad. de Scienc.* 1723, 1728.

roticae, per orbiculum ciliarem, junctum ; in aqueo humore caeteroquin fluitans. Facies iridis posterior, quae nigro pigmento obducitur, plerisque Uvea audit. In iride fibrae longitudinales, ab ejus ambitu scil. versus pupillam tendentes, manifestae omnino sunt : Fibris etiam orbicularibus instrui plerique statuunt ; nonnulli vero, minime contemnendi Auctores, id negant *. Nisi nuper fibras iridis vi musculari pollere valuit opinio : Nunc vero, qui de hoc etiam dubia moveant, non desunt †.

His oculorum tunicis multi impenduntur surculi nervei, a tertio atque quinto encephali pare provenientes ‡.

Tunica Retina, alba, mollis, tenera, et mucosa, nervi optici medullae continuatio est : Super humorem vitreum choroidi contigua et concentrica, ad processus ciliares antrorsum fertur, undique

* Hall. prim. lin. § DVI.
† Hall. Act. Goth. T. 2.
‡ Vide Hall. Fascicul. Zin.

undique libera, neque ulli harum partium conjuncta *.

PRAEDICTIS partibus sanguinem in primis subministrat Arteria Ophthalmica dicta, carotidis internae propago; nihil vero non per carotidis etiam externae ramos accedit, qui cum ophthalmica multis anastomosibus conjunguntur. Venulae arteriolis respondent, ad durae matris sinum cavernosum praecipue, nonnullae vero ad venas externas tendentes †.

INFLAMMATIO oculi a Graecis ὀφθαλμια vocatur, ab ὀφθαλμος *oculus*; quando enim inflammationem alicujus partis denotare voluerunt, sub finem vocis, qua pars designabatur, particulas ια, vel ιτις addiderunt, unde ὀφθαλμια; a Latinis, praecipue CELSO, Lippitudo audit ‡.

PRO tunicae conjunctivae inflammatione praecipue usurpatur, sed saepissime interiores oculi partes invadit.

IN

* Zin. § iv. Cap. 3. de tun. retin.

† Vide Hall. prim. lin. Phys. et Fascic. vii. Zin. Cap. x. et xi.

‡ Cels. Cap. vi. lib. 6. de morb. Ocul.

IN multas ſpecies diviſa eſt; ſi ab externa cauſa, oculus humidior fit, rubet, calet, et leviter dolet, παραξεως, ſeu Perturbationis, nomen induit, ſive Nothae*: vera autem a cauſa interna plerumque oritur.

QUANDO adeo inflammantur palpebrae ut aperiri nequeant φιμωσις erit; ubi vero oculus apertus maneat, et in tumorem ſublata eſt tunica conjunctiva, et quendam hiatum praebeat pupilla, ſtipaturque dolore, delirio, et effluxu humorum, χημωσις evadit †.

HUMIDA lachrymarum acrium effuſionem ſecum habet conjunctam ‡; ſicca vero eſt, ubi parum vel nihil ex oculo effluit; periodica oculos debiles quodam tempore habentes infeſtat; GALENUS de inflammatione oculi contagioſa mentionem fecit**.

OPHTHALMIA

* Nich. Piſo. cap. xxvi. lib. 1. de cogn. et cur. morb. Sen. cap. xii. pract. lib. 1. pars 3. Sect. de morb. tun. adnat. River. tom. 2. cap. viii. de ophth.

† Vid. lib. antea citat. eod. loc.

‡ Hipp. ſect. viii. aph. 14.

** Galen. i. de diff. febr. cap. 2.

OPHTHALMIA iterum in chronicam, idiopathicam, et ſymptomaticam diſtinguitur; chronica a cauſis internis: idiopathica ab externis vel internis, et ſymptomatica a febribus nonnullis, lue venerea, ſcrofula, &c. ortum ducere poteſt; maculis, phlyctaenis, &c. ſaepe ſtipatur. Alias ophthalmiae ſpecies enarrat IVESIUS*.

IN hoc morbo contingit ingens ſaepe inflammatio oculi, quam elegantiſſime ſequentibus verbis deſcripſit LOMMIUS; "Cum multo dolore, tu-
"more, tenſione, ardore et rubedine, interdum
"tanta cum punctione, ut oculi ab infixa ſpina
"vel acu ſtimulari videantur; iidem fervente
"lachryma implentur, ſequiturque pituita modo
"paucior, modo uberior; ſordes quaedam angu-
"lis majoribus oculorum inhaereſcunt, et ubi gra-
"vius malum eſt, vicina etiam loca ad malas uſque
"attoluntur, undique arteriae vehementer pul-
"ſant, ipſa inflammatio ex oculorum angulis
"in omnem adhaerentem membranam diffu-
"ſa eſt, vaſcula in tunica adnata, in ſa-
"nitate

* *St. Ives ſecond part, cap.* iii. &c.

"nitate obſcura, conſpicua, et turgida fiunt*;" ſaepiuſque muſcae coram oculo volitare videntur, viſus fit obſcurus, oculus lumen refugit, et cornea ſaepe opaca devenit.

Causae, quae Ophthalmiam inducere poſſunt in externas, et internas diſtinguuntur; priores ſunt aër nimis frigidus, fumi acres, pulveres, aliaque nociva in oculos illapſa, inſolatio, ignis calor nimius, ictus, &c; poſteriores ſunt plethora, cacochymia, evacuationes naturales ſuppreſſae, nimia liquorum inebriantium ingurgitatio, &c. variolae quoque, et morbilli, ſcrofula, lues venerea, multique praeterea morbi, atque motus nimius, vel nixus magnus in ponderibus elevandis, Ophthalmiam non raro inducunt.

A quacunque vero cauſa remota Ophthalmia ortum duxerit, ejus cauſa proxima ſemper eadem eſt, viz. irritatio vel ſtimulus quivis vaſa conjunctivae et corneae in motus ſolito vehementiores

* Lom. lib. ſec. p. 108.

concitans, unde vasa minora sanguinea solito longe magis distenduntur, et ipsa vasa serosa, vel lymphae tantum vehendae destinata, ab aucto humorum impetu, adeo ampliantur, ut sanguinem rubrum recipiant.

HANC inflammationem ab errore loci a summo BOERHAAVIO vocatam *, nunquam contingere, variis argumentis probare conatur illustrissimus HALLERUS; dicit enim, vasa quae microscopiis pellucida, vel flavo-pellucida apparent, et quae a BOERHAAVIO pro serosis habentur, esse arterias rubras capillares, quae non nisi singulos globulos rubros simul transire sinunt †.

SED quamvis lubenter agnoscimus inflammationem ab errore loci non adeo saepe contingere, ac credidit BOERHAAVIUS, qui pro vasis serosis habuisse videtur ipsas arterias capillares rubras, tamen cum cornea pellucida, quae ornatur sine dubio vasis sanguine rubro non repletis, saepe in oculi inflammationibus ruberrima fiat; certissime sequitur,

* Boerhaav. aph. cx. et de morb. ocul. cap. 8. de ophthal.

† Hal. elem. physiol. lib. ii. § 31.

ſequitur, inflammationem ab errore loci aliquando contingere. Porro quando HALLERUS dicit, " inflammationes pleraſque non a ſanguine in vaſis " inpacto, ſed ab eodem in circumjectam cellulo- " ſam telam exſudante fieri*," nonne ipſe admittit errorem loci, cum in ſpatiis telae cellulosae in ſtatu ſano nunquam naturaliter inveniatur ſanguis ruber?

ERROREM loci quoque demonſtrat rubedo humoris aquei, in gravibus nonnullis Ophthalmiis, qui a vaſorum dilatatione, non ruptura vera, provenire videtur; aliter enim difficilius curationem exciperent: ulterius autem obſervare licet, inflammationem vix apte ab HALLERO dici poſſe in ſanguinis effuſione conſiſtere in telam celluloſam, cum a diſtractione fibrarum, et cellularum hujus telae, neque dolor, neque pulſatio ulla, ſecundum hujus viri egregii placita, contingere poſſunt. Inflammatio ergo ſtricte dicta, fit a ſanguine, vaſa minora, tam rubra, quam ſeroſa, ultra diametrum ſuam diſtendente, et irritante.

QUOTIES

* Hal. elem. phyſiol. lib. 2. ſect. 30.

QUOTIES haec distentio minor est, vix ullus sanguis, in telam cellulosam effunditur, quando vero major est, tunc per fines apertos vasorum exhalantium, forte aliquando, licet rarius, per ipsa vasa minora rupta, sanguis ruber, una cum humoribus tenuioribus, in spatia telae cellulosae effunditur.

RATIO SYMPTOMATUM.

CUM dolore multo.] Dolor saepe oritur in initio, ab acri quadam materia irritante vasa oculi, postea longe magis saevit, a nimia distensione vasorum sensilium.

TUMORE, tensione.] Oriuntur a nimio impetu, quo per vasa oculi stimulo insigni lacessita pellitur sanguis, praesertim cum per fines vasorum, utcunque obstructos, non facile viam sibi inveniunt humores violenter impulsi.

ARDORE.] Ardor ab aucto motu, et attritu sanguinis in vasis oculi inflammati provenit; per certa experimenta quippe novimus, quod ubicunque

que in corpore augetur impetus, et attritus humorum, ibi etiam ſentitur calor ſolito major.

Tanta cum punctione.] Dolorem a diſtractione antea diximus; ſed quando inflammantur vaſcula minutiſſima, ſenſibus imperceptibilia, nervulis quam plurimis ditata, talis debet excitari dolor, ac ſi in puncto haereat, quare dolor punctorius.

Fervente lachryma implentur.] Quando inflammatur pars aliqua, valde ſenſilis devenit, ſic ut a leviſſima cauſa doleat; inflammationis irritatio, ob ſympathiam glandulas lachrymales afficit; illae multum lachrymarum depluunt, quae oculis inflammatis ferventes videntur, vel forte ſolito magis calidae deveniunt, a vehemente humorum motu, vel ſanguinis majori acrimonia.

Sordes in angulis majoribus.] Glandulae ſebaceae palpebrarum, et vaſa lachrymalia humores ſuos copioſe eructant; horum partes tenuiores avolant, vel a punctis lachrymalibus hauriuntur, relictis

relictis crassioribus, quae ad angulos oculorum collectae, sordes multas efficiunt.

ARTERIÆ vehementer pulsant.] Sanguis a corde projectus, in arteriis obstructis dilatandis, omnem suum impetum impendit; hinc latera eorum dilatantur; cessante vero cordis actione, arteriae reagunt tantafere vi, quanta antea distentae fuerunt; solito vehementius pulsant itaque arteriae.

VASCULA in tunica adnata turgida et conspicua apparent.] Quoniam sanguine fortiter in ea adacto, longe ultra consuetam diametrum distenduntur.

MUSCÆ coram oculo volitare videntur.] Maculae diversi sunt generis; quaedam fixae sunt, quae locum non mutant axis visionis respectu, et sedem habent in cornea, retina, seu humore vitreo, aut chrystallino; aliae fluctuantes, seu volitantes sunt, perpetuo enim mutant locum suum, et a corpusculis in humore aqueo fluitantibus oriuntur *.

VISUS

* *Med. Essays, vol.* 4. *p.* 211.

Visus fit obscurus, &c.] Vasa, quae liquorem pellucidum continebant, opaco liquore replentur; hinc visus fit obscurus, atque oculus lumen refugit; quoniam si iris ullo modo inflammetur, pupillae arctatio fieri non potest, sine magno dolore. Praeterea, quoties vel conjunctiva, cornea, vel uvea inflammatione notabili afficitur, retina his vicina magis tenera, et sensilis evadit, unde stimulum lucis, quemadmodum in sanitate, ferre nequit.

DIAGNOSIS.

Ex antea dictis patet; signa enim Ophthalmiae, viz. tumor, rubor, vasorum minimorum tunicae adnatae tensio, ardor, et dolor vehemens, clare Ophthalmiam demonstrant.

PROGNOSIS.

Ophthalmiæ, quae ad levem, seu notham, propius accedunt, facile dispelluntur, sed quae,

ad

ad chemoſin, difficilius curantur, et non raro in ſuppurationem cum caecitate tranſeunt.

In regionibus frigidis, lippitudines rariores ſunt, ſed curatu difficiliores, in calidis frequentiores, ſed ſine magna curantur difficultate; ſenibus et pueris aegrius ſanantur, per longum tempus durant, quoniam multis ſeroſis et pituitoſis humoribus abundant.

Si pruritus quidam, aut puncturae, in oculo cum dolore, calore, percipiantur, tunc imminens Ophthalmia cognoſcitur. Si hyems ſicca, et aquilonia fuerit, ver autem pluvioſum, et auſtrale, aeſtate fieri Ophthalmias neceſſe eſt, Mulieribus praecipue, et viris fibris debilibus praeditis *. E contra vero, ſi hyems pluvioſa fuerit, ver autem ſiccum, Ophthalmiae ſiccae evadent †.

OPHTHALMIÆ,

* Hipp. ſect. 3. aph. 11.
† Ibid. aph. 12.

OPHTHALMIÆ, a lue venerea, ſcrofula, &c. ortae, aegerrime ſanationem excipiunt; quae ab eryſipelate provenit, periculoſa eſt; et quae ab ictibus, facilius, aut difficilius, ſanatur ſecundum ictuum impetum.

SI alvi profluvium ſupervenerit, vel prodeſt, vel morbum tollit *. Quando lachrymae pauciores fiunt, et viſcidae, et in pus leve et aequale convertuntur, tunc in ſanationem tranſit morbus; quando vero grana ſordium parva oculo adhaerent, ſignum acrimoniae humoris eſt, et quod per longum durabit tempus †.

METHODUS MEDENDI.

INDICATIONES curatoriae, in Ophthalmia, duae ſunt.

INDICATIO prima eſt, inflammationis reſolutionem moliri, quod fit, impetum ſanguinis, in

 vaſis

* Hip. ſect. 6. aph. 17.

† *Maitre-Jean traité des maladies de l'oeil, chap.* xiii.

vasis oculi minuendo, et sanguinem phlogisticum crassum aut acrem resolvendo et diluendo.

SECUNDA est, vasa debilitata corroborare.

SI inflammatio levis, ab externis causis, e. g. fumo, pulvere, &c. oriatur, facile curam exhibit; oculum abluendo aqua tepida, vel frigida, aut aqua rosarum; vel cataplasma e pomo assato superimponendo.

SED quando gravior est inflammatio, resolutio valde difficilis evadit; sanguis enim ruber vasa serosa ingressus, per eorum fines ultimos vix transmitti potest; hinc continuo augentur vasorum distensio, inflammatio, et obstructio, quas tandem saepe excipit suppuratio, gangraena, vel schirrus.

RESOLUTIO autem fit, sanguinem impactum dissolvendo, diluendo, atque impetum sanguinis in vasis oculi minuendo; sic enim vasa dilatata se sensim contrahunt, et sanguinem dilutum, vel forte dissolutum, tandem per fines suos transmittunt. Sanguis crassus et phlogisticus solvitur,

atque

atque diluitur, multo potu aquoso, nitroso, et subacido, praemissa sanguinis missione.

IMPETUS sanguinis in vasis oculi minuitur, fomentis, et cataplasmatibus mollissimis, quae irritationem in vasis oculi minuunt, vel tollunt, sanguinis missione, purgantibus et derivantibus.

QUOD ad sanguinis missionem attinet, observandum est, quod larga copia detrahi debet, praesertim prima vice, atque pro viribus aegri venaesectio repetenda erit, nisi cedat Ophthalmia. Porro confert, sanguinem lato vulnere mittere; sic enim vis cordis, atque impetus sanguinis in arteriis maxime imminuitur; notum enim est, hominem robustissimum, vix binas sanguinis libras pleno rivo dimittere, antequam in animi diliquium cadat; dum triplam, vel quadruplam sanguinis copiam, cum de naso, guttatim stillat, sine ullo animi diliquio, perdere potest.

SUADENT Authores sanguinem e venis frontalibus, temporalibus, et venis oculi angulorum extrahere; sed minime prodest tam parva sanguinis evacuatio,

evacuatio, nisi prius per venaesectionem largam depleta fuerint vasa; quamobrem sanguis e venis majoribus, primo mittendus est, aut ex arteria temporali: Nonnulli etiam hirudines temporibus, angulis oculi majoribus, aut pone aures admovent. Cucurbitulae etiam nuchae, vel dorso affixae, cute integra, vel, quod melius est, prius concisa, utilissimae sunt; sed post venaesectionem copiosam majores effectus praestant.

SANGUINE affatim detracto, purgatio celebranda est, et saepius repetenda; HIPPOCRATES enim docuit, lippientem alvi fluxu corripi, bonum esse *. Sed purgans blandum esse debet, viz. decoct. tamarind. cum senna, sal. Glaub. manna, aq. mariu. et similia; purgantia enim acria sanguinis motum et febriculam excitant. Ad sanguinis vitium corrigendum non raro conducunt pil. mercur. laxantes, alternis noctibus exhibitae; vel nonnullae doses calomelanos, purgantibus interjectis; post purgationem opiata lenia hora somni exhibenda sunt; turbas enim a catharticis excitatas compescunt, sensum doloris minuunt, et somnum blandum non raro inducunt.

OMNIA

* Hipp. sect. 6, aph. 117.

Omnia etiam conducunt, quae ſanguinem ad alias partes derivant; Boerhaavius emplaſtra tenacia, ex galbano in aceto ſoluto, et emplaſtro de meliloto confecta, ad axillas, inguina, &c. applicanda ſuadet*; ſed veſicatoria, vaſis prius depletis, egregie juvant, cervici, pone aures, capiti, aut temporibus admota; nec ſpernenda ſunt aquae calidae balnea, vel pediluvia, ſaepius de die repetenda.

Setacea et fonticuli multum proſunt; praecipuae autem in Ophthalmiis vetuſtis, et diaphoretica, ut julap. diaph. Pharmac. Paup. Euphraſia, &c. ſed dum evacuationibus inflammationem ſedare conamur, aegrum oportet, victu refrigerante, ſorbilibus &c. uti, viz. panatella, vel pulmento hordeaceo; decocta hordei, nitr. vel ſerum acetoſum larga copia bibat; acria, ſalſa, piperata, nec non liquores ſpirituoſos et vina inebrianţia vitet, ab omni interim corporis motu abſtinendum eſt, et quies imperanda; aër temperatus, nec fumo vel pulvere inquinatus, locus, quo degit

* Boerhaav. de morb. ocul.

git aeger, obscurus esse debet; et linteolo viridi aut caeruleo obtegatur oculus.

EXTERNE ad oculum inflammatum, applicanda sunt topica remedia; plurima hic praescribuntur, sed pauciſſima sunt, quae spei respondent; multi enim collyria astringentia sub morbi initium exhibendo, obstructionem augent, inflammationem exinde pervicaciorem reddentes.

IN inflammatione, fibrae dilacerationi proximae, et maxime tensae fiunt; hinc optima topica sunt emollientia et laxantia, quae tepore et humiditate sua, vasa nimis tensa relaxant, atque sensum doloris et irritationem insigniter minuunt; huic scopo conducunt lac tepidum, decoct. althaeae, malvae, vel faenugraeci; atque vapor aquae calidae; haec saepius de die usurpanda sunt, postea superimponendo cataplasmata è mica panis albi, cum lacte cocta, vel pomi assati pulpa, sed saepe renovanda sunt.

HAC methodo sedata inflammatione ad roborranda vasa, conveniunt collyria astringentia, col-

lyria

lyria plurima ab Authoribus laudantur; optima autem videntur, quae ex aceto roſaceo, ſacch. ſaturni, vitriol. albo, alumine, vel trochiſcis alb. Rhaſis. in aq. roſar. ſolutis, parantur.

Unguenta etiam quam plurima ad Ophthalmiae curationem uſurpari ſolent; ex tutia, lapide calaminari, bolo Armena, myrrha, &c. confecta; ſed verendum eſt, ne tutiae, aut lapidis calaminaris pulveres potius inflammationem augeant; ſi ergo palpebrae, per noctem, ſorde glutinoſa adhaereant, tunc ſub hora decubitus, ad oculorum angulos, aut palpebrarum limbos, applicanda ſunt unguenta, è camphora, cera alba, et oleo olivarum, praeparata; eadem quoque conducunt, ad ſiccas lippitudines, vel palpebrarum pruritus; Riverius linteum optime carptum ſuadet; cujus pauca quantitate, inſtar plumaceoli conteguntur oculi, faſcia ſuperinducta, linteum mane ſordibus imbutum auferatur *.

In inflammationibus violentis, confugiunt multi ad opiata, quae dolorem ſopiunt; ſed caute exhibenda

* Riv. tom. ſec. cap. 8. de Ophthalmia.

hibenda ſunt, niſi poſt largas praemiſſas evacuationes, et inflammationis maximam ferociam ſedatam.

HACTENUS de Ophthalmiis magna cum inflammatione ſtipata, locuti ſumus; nunc pauca de Ophthalmiis chronicis, ſive diuturnioribus dicemus, quae ſacpiſſime remediis uſitatiſſimis repugnant; diverſam enim requirunt curationem, et longiorem curandi rationem, Medicoque non raro multum faceſſunt negotii, cum difficilime impediri poteſt, quin partes a longo tempore debilitatae, epiphorae, et aliis morbis obnoxiae ſint.

QUANDO oritur lippitudo, a vitio quocunque ſanguini inhaerente, remediis vitio debellando idoneis utendum eſt; et ſi a fibrarum laxitate ortum duxerit, corroborantia, et aſtringentia exhibenda ſunt. BOERHAAVIUS mercurium praecipitatum rubrum mira praeſtare affirmat, cum cera alba, et opio, linteo tenui incluſum, et in aq. roſarum ſervatum, ſi ſupra oculum prematur, ita

ut

ut guttula una vel altera oculum ingrediatur*.

MULTA laudantur ſpecifica, e. g. axungia viperina, ad oculum illinendum; Æthiops mineralis, vel cinnabaris et ſimilia largis doſibus ſumpta; ſed ſine aliis remediis, nihil vel parum proſunt.

OPHTHALMIA ſcrofuloſa nullis ſaepe remediis cedit, mercurialia, aquae ferrugineae, et ſulphureae multum conducunt; clarus vero FOTHERGILL in Ophthalmia ſcrofuloſa corticis Peruviani virtutes egregias expertus eſt, multoſque ad ſanitatem reduxit†.

SED haec omnia ſaepe inutilia ſunt, atque nihil reſtat, niſi ut ad oculi ſcarificationem confugiamus, ut ſanguini ſtagnanti exitus tempeſtive obtineatur, multo dolore ſtipata eſt haec operatio, ſed ab ea pulcherrimum effectum vidi. Celebrari debet, ubi maculae vel ulcuſcula ab inflammatione orta, vaſculis ſanguineis conferta ſunt, et nulli

* Boerhaav. de morb. ocul.

† *London med. obſ. vol.* 1. *p.* 303.

cedunt remedio, poſt ejus uſum plerumque exareſcunt maculae, vel ulcuſcula.

AD lippitudinem vetuſtam, maculas, vel viſum imminutum, ſternutatoria proſunt, ex ſale vol. ſalis ammon. pulvere cephalico, turpetho minerali, &c. confecta, et pil. Æthiop. et mercurialia interne ſumpta.

OPHTHALMIA venerea, a gonorrhoea ſuppreſſa ſaepe oritur, et oculum utrumque vel alterum utrumque gravi inflammatione tentat; ſi levior ſit, et cito revocetur gonorrhoeae fluxus, poterit remediis uſitatis rite adhibitis, mitigari, vel reprimi; ſed ſi morbus gravior fuerit, et nulli remedio cedat, ad operationem, qua praeſcinduntur vaſa corneae, quaſi ad anchoram ſacram confugiendum eſt *.

POST

* Aſtruc, de morb vener. lib. iii. cap. 3. § 3. hanc operationem ſuccincte deſcripſit ſequentibus verbis; "Ægro commode collocato, et palpebris affecti oculi hinc et inde ductis a miniſtro, circularis conjunctivae ambitus, qui praetumet, in punctis duobus e diametro oppoſitis horizontali ductu, ita transforatur acu incurva, quae filo inſtructa ſit, "ut

Post Ophthalmiae curationem, omnia quae recidivam facere poſſunt, evitanda ſunt, viz. liquores ſpirituoſi, lectio nimia inprimis nocturna, motus nimis vehemens, &c. In curatione etiam attendendum eſt, ut vaſa, uti antea, pellucida maneant, hinc omnia topica nimis calefacientia cavenda ſunt, quoniam humores coagulant, vaſaque contrahunt.

Si tempeſtive hanc curandi methodum conſequamur, morbus ſaepe curabitur; ſed ſi vaſa, nimia inflammatione contrita, ſuppurari incipiunt, nihil fere juvabunt remedia hactenus memorata.

Atque haec ſunt, quae de natura et curatione Ophthalmiae dicenda habui: plurima, ſine dubio, utilia

" ut traductum ea ratione filum anſae inſtar eſſe poſſit, qua
" tumor ſuſpendatur. Deinde circularis ambitus proxime ad
" ſclerotiden ſummis forficibus attondetur. Deciſa conjuncti-
" va, rorare quidem ſolet aliquot cruoris ſtillis, ſed paucis,
" rariſque, et quae poſt operationem vel aquae communi e-
" gelida, vel ſub tepida decoctione radicis althaeae, facile
" reprimuntur, et exterguntur."

utilia omiſi, et in errores quoſdam forte incidi; haec autem aequi, uti ſpero, condonabunt judices; cum leges Academiae, non ſcribendi cacoethes, hanc Diſſertatiunculam in lucem produxerint.

FINIS.

Med Hist
W4
E23
1759
S.1